visetur, cum pauci alii, quibus te, nisi fallor, vix poenitebit breve momentum impendisse. Manda tamen, si quid secus curatum velis; ecce enim cui cum imperio injungas

Summae virtuti tuae et eruditionis
cultor et admirator
C.H.

D. Voetio, Fratrique item optimo
et humanissimo viro Salutem
plurimam dico.

(402).

Wendelino.

Mi Wendeline (quod vocabulum fortasse praefers Amplissimis illis doctissimisque) quando in Trajectis soloecismum fecimus, quisquis fuit ille duorum, narro tibi, comperto me errore protinus Comitem Solmensem vestri nunc Trajecti Gubernatorem, sedulò conuenisse, ut si fortè quid è latibulis illius oppidi erutum velles, autoritate suâ repulsam ^ubique praevenient taut^ averteret, quam equidem interpretarer quasi mihi factam. Itaque sanctè pollicitus est, quoties se adires meo nomine, omnem omninò operam suam ac beneuolentiam in promptu fore. Siquid ejusmodi superest, impera. Est tibi hic cum homine negotium, qui succedere ambit in illum loculum, quem in intimo Wendelini sinu vacuum reliquit, heu ille noster, quicum ut ritè lamentaris excessere omnes. Si pateris vale, si abnuis, vale tamen Mi Wendeline ab integerrimo affectu tuo C. Hugenio.

In paucis illis quae ad Rhenum diplomatis Lossensibus nihil suspicor extare eorum quae ad Reelkemas meos spectent. Videbitur tamen. Scribo distractissimus, ut ipsa scriptio indicat. Hagae Com. Postridie 18. Sept. 1647.

(403).

Annae Mariae Schurman.

Nobilissima Domina

Quod quis per alium facit ipsum facere non videri, contra quam Iurisconsulti dictant, rogo me docere patiaris per haec taedia Typographorum Parisiensium, veterno vesinâque pigriorum. Horum certè non meâ culpâ factum est

factum est, quod hoc libello hactenus careas, cujus ali-
quando diem natalem expetere dignata es, votis, pro rei
pretio, parum justis. Tandem igitur, et si Diis placet
sub ipsum anni finem, quod cum primâ hirundine destina-
veram, offerre audeo humanitati tuæ lenè suâ mole meri-
toque munusculum. Hâc planè fiducia, subventuram
imbecillitati meæ nobilissimam vicinam tuam, et quæ
suopte vitio displicere possent, non egregiis illis faucibus
modò, quas certatim admiramur, sed et comitate quâ
pollet maximâ, et erga autorem benevolentiâ singulari,
doctissimis auribus tuis approbatum iri. Istius voti si
me compotem redditis, aliquando sic inter ambas Deo
laudem meis verbis accinentes, etiam absentem me versari
existimabo, quod quoties præsenti licuit, magnâ me
felicitate beatum duxi. Vale Summa Virginum, et
illustrissimi nominis tui cultorem perpetuum crede

C. Hugenium.

Heinsio.

Vir nobilissime atque Amplissime

(404).

Apud Leidenses ante biduum pro virtute ac meritis tuis
causam dixi, quam potui prolixè. nactus primò man-
dati novi autoritatem, deinde et occasionem quâ non
nesciebam gratum heroibus fore adventum meum, quip-
pe cui quid in aurem seriò commendare gestirent. Neque
conjectura fefellit. Adorti me sunt, ut ipsi stilo curiæ
loquebantur, per reconventionem, et vota quidem illorum
successus implevit, me procurante. Superest, ut et
ipsi præstent, quod satis liberaliter receperunt, nisi quod
instare Novi Magistratus inaugurationem causaban-
tur, quo fieri ~~[illegible]~~ minimum possit. qui in præsentiâ Rempu-
blicam obtinent loco ut excidant. Respondi non
interire Magistratum, et quidquid ejusmodi contin-
geret, eos ipsos qui excederent testimonio juvare posse
petitionis nostræ æquitatem apud Imperii successores.
Wevelinchovio id præcipuè inculcavi, scire Principem,
quantum illo in consessu, autoritate et consilio
polleret. Non nihil de Heurnio interjectum fuit

et sic